

Σὺν Θεῷ

EXERCITATIONUM ETHICARUM
NONA

DE JUSTITIA.

Quam

Benedicente DEO Opt. Maximo

Permissu Amplissimi Collegii Philosophici

Sub Præsidio

M. JOHANNIS Reinboths

Altenburgô-Misnici,

Placidæ disquisitioni

ad diem Junii horis & loco consuetis

subjicit

Respondens

HEINRICUS CONOVIUS.

RostochI, Literis hæredum Richelianorum,

Anno CIↃ IↃC XXXVI.

Cum Deo!

I.

DE JUSTITIA tractaturi missis quam plurimis Justitiæ acceptionibus inprimis illam hoc loco curabimus, quæ Politicorum est, quæq; alias in Universalem & Particularem solet dispesci; quarum Particularem hac vice considerabimus.

2. De Etymologia hujus vocis nihil attinet curiosius tractare aut dicere, cum pleræq; derivationes authorum sint incertæ. Verius ab ipso jure & justo derivationem hæc vox accepisse videtur, uti præter Scaligerum *lib. 3. de C. LL. JCtus* Wesenbecius statuit, additâ particulâ TIA, quod & Flacius *part. 1. Clav fol. m.* 492. putat, quem virum doctissimum ideo malè refutat *non nemo disput. Eth. 8. th. 2.* Nonnulli, inquiens eam derivant ab Hebraico צָדִיק (per transpositionem literarum) quod latinè justum sonat, ut inter cæteros Flacius. Verum hæc derivatio nimis coacta est, & tantum allusiva ex diversa lingua petita; cum propria & genuina verbi derivatio ex propria & sua lingua petenda est. Nam hic Flacii mentem, ut mitius loquamur, non assecutus fuit.

3. Neq; tamen illos ideò rejicimus, qui potius JUS à JUSTITIA derivari malunt, uti Ulpianus *in l. 1. ff de J. & J.* quando dicit: *Sed autem Jus à Justitia appellatum.* Cui etiam expositioni favet Isidorus *lib. 5. Etym. c. 3.* qui jus dictum esse existimat, quia justum est. Illos enim derivationem grammaticam, hos denominationem Logicam attendisse nemini potest esse obscurum, quamvis nollem cum non nemine dicere, illud Philosophis esse prius, juxta denominationem logicam, in quo intellectus noster primum invenit potentiam obedientialem, recipiendi notionem secundam seu terminum logicum. Sunt enim in his quædam, quæ accuratius philosophantibus minimè ad salivam.

 4. Græ-

4. Græcis dicitur δίκη & δικαιοσύνη, vel τὸ δίκαιον, quasi τὸ δίχαιον τὸ δίχα, quod in duas æquales partes rem scindat, neutri parti plus minusvé ratâ portione tribuens *Arist. 5. Eth. c. 7.* vel etiam juxta Platonem quasi διαϊον i. e. διὰ ἰὸν per omnia iens *vid. Cælium Rhodiginum lib. 23. Antiq. lect. c. 11.*

5. Quamvis autem Aristoteles integrum ferè *lib. 5. Eth. Nicomach* doctrinæ de Justitia tribuat, ejusq́, naturam quàm diligentissimè & exactissimè exponat, tamen an Explicita & Realis *Particularis Justitiæ* definitio à Philosopho sit proposita, meritò ab Interpp. dubitatur. Certè, quæ statim in frontispicio *lib 5.* ponitur, quando Arist: δικαιοσύνην ἀφ' ἧς πρακτικοὶ τῶν δικαίων εἰσὶ, καὶ ἀφ' ἧς δικαιοπραγοῦσι, καὶ βούλονται τὰ δίκαια, si scopum Aristot. consideraveris, non tàm definitio, quàm communis quædam omnium Authorum hypothesis, & in præsupposita nominis acceptione convenientia, meo quidem, salvo tamen aliorum judicio, videtur.

6. Polemarchus apud Platonem *in proœmio lib. 1. de Rep.* Simonidi, quod etiam Pittacum, Biantem dixisse fert Socrates, tribuit, quod Justitiæ essentiam ἐν τῷ ἀποδιδόναι ἄν τις παρά του λάβῃ collocaverit, & dixerit, Justitiam esse verum dicere, & debitum unicuiq; reddere. Hoc ibi dupliciter improbatur, ut vel idem sit, 1. Ac simpliciter verum cuilibet aperire, & quod acceperis, restituere, vel 2. Ac dare unicuiq;, quod sibi convenit, ceu amicis emolumentum, inimicis verò damnum: Prodesse quidem bonis, malos autem lædere.

7. Verum utraq; expositio ibidem à Socrate refellitur. Prior quidem ex eo, quod insano neq; omne verum patefaciendum, neq; arma reddenda sint, quæ tum sanus quis erat, apud te deposuerat. Posterior verò improbat propterea, quod neminem unumquemq; lædere deceat. Qui enim aliquid lædit, idipsum ad opus suum propriamq; virtutem deterius efficit & ineptius, ut qui canem lædit ad propriam canis virtutem reddit ineptum. Justitia verò hominis virtus est. Quisquis ergò lædit hominem ad justitiam facit deteriorem. At justitia justitiam nunquam minuit, sicut neq; Musica opus musicæ destruit.

8. Circa

8. Circa medium ferè adducitur alia definitio Thrasymachi Sophistæ, qualis etiam à Callicle in Gorgia affertur, quod justum id sit, quod potentioribus inutile est. Semper enim potentiores dominari atq; ad utilitatem suam ferre leges ac subditos gubernare. Tunc verò subditos justè agere, cum illis parent legibus, quæ sunt ad utilitatem gubernantium constitutæ.

9. Verum Socrates & hanc ad contradictionem trahit *fol. mihi 218*, quoniam possit Princeps per ignorantiam mandare, quæ sibimet sint detrimento futura. Quæ si observet privatus, tamen justus erit, quia dominanti pareat, tum injustus, quoniam agat contra dominantis utilitatem. Addit artem quamlibet absolutam, ideoq; minimè indigam, in tractandis materiis & hominibus non suæ sed rerum sibi commendatarum utilitati consulere: quasi pupillis tutor, medicus ægris, nautis gubernator: Similiterq; magistratum legitimum subditorum utilitati prospicere. Si qua verò ars ceu Medicina mercedem exigit, non quatenus medicina est: cujus finis est morbi curatio, quæstum facit: sed quatenus cum mercenaria quadam & quæstuaria commiscetur. Artem enim civilem omnium perfectissimam, ideoq; minimè indigentem, atq; servilem constat, multo minus utilitatis gratia gubernare. *vid. Marsilius Ficinus Florentinus in argumento super Dialogum 1. de Justo ad Laurent. Medicen.*

10. Alia hodie circumfertur justitiæ definitio, quâ Justitia dicitur constans & perpetua voluntas jus suum cuiq; tribuendi, *positaq; est ab Ulpian. in l. 10. ff. de J. & J. & ex eo ab Imperatore nostro Justiniano in Instit.* Habet etiam *August. l. 19. de Civit. Dei c. 21.* Justitia est virtus, quæ suum cuiq; distribuit. & *Gregor. Nyssen. Orat. 4. de Beatitud.* est habitus tribuens unicuiq; id quod æquum est, & quo quisq; dignus est. Simonidi, attributam à Platone *l. 2. de Rep. dicit Jac. Martini lib. 2. Eth. p. m. 382.* imo ipsius Platonis secundum Simonidem esse dicit Paulus Scalichius de Lyca *in Cyclopædia sua f. 72.* Verum diligentius istum librum Platonis perlustravimus, neq; verbum ibi, quod huic sententiæ faveat, deprehendimus.

11. Certè ipse Plato *l. 4. de Rep. sub persona Socratis f. 237.* suam mentem exponit: Justitia non est circa actionem exteriorem, inquit, imo circa interiorem suarum partium actionem verè ad ipsummet animum & ad sua: Dum nihil permittit ex suis aliena tentare: neq; finit animæ genera opera invicem confundentia per plura vagari: sed revera propria rectè digerit: suiq; est Dominus sese exornat, amicus sibi ipse effectus in se tria ipsa contemperans, tamq; toties ternos harmoniæ hecatis, Hypates, & Mediæ hoc est octavæ vocis & gravis & quintæ: seu quævis alia media fuerint. Itaq; omnia hæc nectens ipse undiq; novus effectus ex multis temperans atq; concinnens, ita demum agit, si quid agit, vel circa pecunias acquirendas, vel corporis cultum, vel etiam circa civilia aut privata commercia. In his omnibus actionem illam justam & præclaram existimans, quæ habitum hunc peragit atq; servat: Sapientiam verò operationi huic præsidentem scientiam: Injustam autem operationem, quæ hanc dissolvit, insipientiam: Deniq; operationis hujus ducem opinionem. Et paulo post eadem ratione, inquit Socrates, justitiam præstare cuiq; nihil est aliud quam animi partes in ordinem suum digerere, ut ad naturæ normam pareant atq; imperent. Injustitiam vero ut quædam exsuperent, invicem ac succumbant. *Hæc Plato.*

12. Eadem fere Alcinous adducit *in lib. de doctrina Platonis c. 31.* quod justitia sit consensio quædam omnium animæ partium; quippe vis quædam, quâ tres animæ vires sibi mutuò consonant, & unaquæq; pro dignitate suum explet officium. Qua de re discursu quid nos sentiamus, in ipso disputationis actu rogati dicemus. Non enim Justitiam Universalem ibidem Platonem explircae, ut vult Piccolomineus *grad. 4. c 15.* Sed Particularem contra- distinctam fortitudini & temperantiæ ex Platone est manifestissimum.

13. Controverti autem hîc solet, an prædicta Imperatoris definitio, non tàm divinam, quàm humanam concernat.

14. *Vulteji* verba, qui imprimis divinam hic definiri argumentis *comm. sup. Inst. n. 5. 6. & 7.* adductis probare nititur, ne injuriam

juriam ipsi videamur facere, apponere lubet (1) Perpetua & constans voluntas in homine non est, sed in solius Dei mente elucet, qui est justitia ipsa. Meum enim est opus, *Prov. Salom. 8.* quod Reges regnent, & consiliarii justa decernant. *n.5.* (2) Justitiæ Sacerdotes JCti vocantur. At Sacerdos nemo nisi Dei est aut numinis, *ib. n. 15.* (3) non est ullius hominis hominis in hac naturæ imbecillitate, in quo sit illa perpetua & constans Jûs suum cuiq; tribuendi voluntas; Atq; ne illa quidem fuit ante lapsum in primis nostris parentibus.

15. *Buridanus* etiam *lib. 5. Eth. q. 2.* ne videretur nihil agere, huic expositioni sese opposuit, illamque ideo rejicere voluit, quod non omnes justitiæ actus complectatur. Præter jus suum cuiq; tribuere, non adesse quoq; honestè vivere, & neminem lædere.

16. Verum scrupuli sunt non scopuli. Ut enim nihil dicamus (hoc enim aliorum est, & altioris instituti) quod hæc assertio scopo Imperatoris repugnet, utpote qui talem justitiam definire voluit, qualis ipsius Jurisprudentia, quæ procul dubio humana est, quæ inter homines certò Reipublicæ corpore comprehensos jus constituit & interpretatur, quæ hunc sibi finem propositum habet, ut æquum ab iniquo separet, licitum ab illicito discernat, bonos non solum metu pœnarum, verum præmiorum quoq; exhortatione efficere cupiat, uti latè ostendunt JCti nonnulli, ad quos lectorem remittimus.

17. Primum enim argumentum quod concernit, certè illud solutu est facile. Nam duplici modo potest intelligi, solius Dei esse opus, quod Reges regnant & Consiliarii decernunt justa. 1. Quod ad ejusmodi regimen & consilium justitiam administrandi concursus Dei generalis requiratur, & ita verissima est ipsius minor proposito. A Deo enim & cœlum & naturam, imo & vivere & operari dependere *Arist. 12. Met. t. 28. & Apostolus Act. 17, 28.* asserunt. Verum h. m. nulla actio, nulla operatio humana, neq; aliarum rerum creatarum propria erit dicenda, quod absurdum. 2. Quod supposito generali concursu non possent Re-

ges ex

ges ex propria liberate regnare & Consiliarii justa dicere: Atq; hoc falsum est, neq; dicto illo innuitur, quod Theologi explicant, qui hac de re consuli possunt. Ita enim omnis libertas & actio moralis & naturalis ab homine tolleretur, quod ipsi Vultejo absurdissimum.

18. Ad secundum facile responderet ipse Imperator ex *l. 9. C. de LL.* dici Sacerdotes & Cultores, quod colant ipsas leges, quæ sunt sacratissimæ. *Imper. sub Rubric. de concept. ff.* Multa enim in jure civili pertractantur, quæ necessario inserviunt cultui divino, ut *est tot. tit. C. de SS. Eccles. de Summ. Trinit. de Episc. & Cleric. & aliis locis quam plurimis. vid. l. 1 §. cum hæc. 5. & §. ne autem 20. C. de Vet. Jur. enucleand.* Verum ex eo, quod habitus aliquis versatur circa objectum, quod est divinum, non statim ipse habitus est divinus. Ita enim Metaphysica vel Pneumatica non humana sed divina scientia esset nominanda, quia de Deo agit. Et cur non Vultejus Vir alias Clarissimus etiam Justitiam Brutorum, Animalium, Fluminum, Maris, Furti &c. h. l. definiri diceret? quia etiam leges brutorum, fluminum, maris curam habent, & de furto disponunt &c. Quod certè quàm absurdum sit dicere quivis animadvertit.

19. Tertium etiam argumentum non novum, sed jam olim *ab Accursio in Instit. & Rudolph. in lib. de Invent. Dial.* propositum fuit, ad quod *D. Frantzkius* respondet, Constantem dici non ita æquabiliter ac si nunquam aliter agere Vir justus posset, sed intentionaliter, quo ad propositum justè agendi. Sicuti enim oculo inest δύναμις videndi, etiamsi quis actu non videat, ita hic voluntas ponitur pro habitu justitiæ, ut habitus quidem ex actionibus crebris prægressis acquisitus justè agendi homini non desit, quod si verò ex habitu non agat, fit id κατὰ συμβεβηκὸς sivè per accidens. Nec ideo injustus statim dicendus est, qui aliquando malè judicavit, si modò benè judicandi constanter retinuit voluntatem, modò non tanta sit juris imperitia, ut excusari nec debeat nec possit.

20. Nos itaq; dicimus, si ex negatione constantis & per-

petuæ voluntatis in homine *Vultejus*, vellet argumentari, non tam Justitiam Particularem, sed & quamcunq; virtutem ab hominibus removeret. Omnem enim virtutem in agendo & volendo constantiam & perpetuitatem (ut nihil dicamus quod ex *c. 7. lib. categor.* ejusmodi constantiam ad omnem habitum requirat) poscere ex *lib. 2. Eth. c. 4. t. 22* constat. Ibi enim inter cætera virtutis requisita & hoc est, ut firmo quis quid & immutabili animo agat. Sanè semel atq; iterum velle quod justum est, etiam injustissimo competere potest, cum nemo tam injustus facilè esse possit, quin interdum illud velit, quod injustum est. Sic de Fabricio Pirrus dixisse fertur, quod facilius Sol à cursu suo, quàm iste à proposito & voluntate recta dimoveri potuerit. Sic Cicero Virum inquit qualis Lepidus fuerit opinione labi posse, voluntate à Republica vel Justitia discedere non posse, *Philipp. 13.*

21. Rectè itaq; dicitur ab aliis: Non hic intelligi voluntatem lubricam & ancipitem, sed jam habitu planè obfirmatam. Et sic Justitia dicitur perpetua & constans voluntas, quia habitus ille animi, illa virtus Justitia nihil vult, nihil ordinat, nisi quod perpetuum sit & semper constet. Quod si verò vir bonus & justus quandoq; à vero aberret, non tamen ob id voluntas, & habitus animi tollitur, cum possit errorem suum emendare. Justus siquidem magis ex affectu, quàm effectu judicatur, Nam & gubernator, inquit *Fabius*, vult salva navi in portum venire, si tamen tempestate fuerit abreptus, non ideo minus talis erit.

22. Buridani argumentum jam dudum à Dominico Soto examinatum & explosum est, qui videri potest, cum brassicam jam coctam recoquendam inutile censeamus.

23. Nos existimamus tria illa principia juris non ita sese habere, ut unum alterum non possit includere. De priori certè nullum est dubium, quod reliqua duo includat & innuat, quod nobiscum *Ægidius Hortensius in Comment. de Just. & Jur. ad §. Juris præcepta* statuit, quando ita ait: Primum enim honestè vivere latissimè patet, adeoq; inest cæteris duobus non contra ea illi insunt, quia & honestè vivit, qui neminem lædit, vel jus suum cuiq; tribuit;

 buit;

buit; Siquidem potest quisq; honestè vivere secum solo; at soli non convenit prohibitio, ne alterum lædat, aut jussus, ut jus suum cuiq; tribuat, cum nec si velit, vel jus suum cuiq; tribuere, id tunc possit.

24. Sed neminem lædere, quod est alterum principium, includi ab illo actu, quo jus suum cuiq; tribuo, ita ut hoc actu nominato etiam ille subintelligatur, itidem patebit. Quomodo enim cum jurium observatione poterit stare læsio, nisi jus ipsum alterum lædere dicas, vel secundum jus læsionem fieri affirmes.

25. Nec est quod dicas, Magistratum sæpius homines lædere, etiamsi jus ipsis tribuat, quando sc. Latroni, furi, aut adultero justæ & debitæ pœnæ infliguntur. E. Jus suum cuiq; tribuere posse esse absq; eo, quod neminem lædere dicitur. Nam phrasis illa *neminem lædere*, debere accipi secundum subjectam materiam Scholastici latius exponunt, sc. non accipiendum est *Physicè* sed *Ethicè* & moraliter. ita ut respiciat actum abstinendi ab injuria, nec videlicet alter alteri injuriam inferat. Atq; cum Magistratus sceleratos minimè injuria afficiat, etiamsi physicè lædat, etiam in justæ pœnæ inflictione moraliter eos non lædit.

26. Ideoq; tunc demum definitio esset vitiosa, si hic actus suum cuiq; tribuere, vel non includeret reliquos, vel non esset cum iis ejusdem latitudinis. Atq; Tò neminem lædere includi à tertio hactenus fuit probatum. *Imò eo ipso quo unicuiq; jus suum tribuitur, etiam non potest non honesta vita adesse*. E. non est quod *Buridanus* ideo authores hujus definitionis de ponte dejiciat.

27. Ultimum, de quo jam diximus, scrupulum alicui injicere potest; Hoc enim videtur justitiam cum reliquis virtutibus confundere. Illarum siquidem omnium est honestatem attendere, ut hic actus honestè vivere spectet potius ad virtutem universam, uti dicit Aristoteles, quàm ad justitiam utpote partem virtutis. Jam autem definitionem Imperatoris esse justitiæ utpote virtutis distinctæ Viri præstantissimi asserunt, è quorum numero est diligentissimus & nervosissimus *J Ctus Hieron. Treutler. vol. 1 d. 1. th. 1 lit. C. è Philosophis verò Philippus Melanchthon, Camerarius, & hodie Hornejus.*

Verum

28. Verum non absurdum esse universam virtutem Justitiæ nomine venire jamdudum *Arist.* docuit, quando *c. 1. §. 11.* dicit: ἐν μέρος ἀρετῆς, ἀλλ' ὅλη ἀρετή ἐστιν. Et *Theognis*:

ἐν ᾗ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή ἐστι.

i. e: Justitia virtutes in se continet omnes. An etiam hujus definitionis conditio sit Justitiam Particularem exponere non ita constat. Certè *Erasmus Ungepaur JCtus in Academia Altorphina Noricorum meritißimus & Philosophus haud vulgaris negat. fol. 23. q. 10.* Quia enim Leges inquit teste *Aristotele lib. 5. Eth. c. 3. t. 5:* οἱ δὲ νόμοι ἀγορεύουσι περὶ ἁπάντων. & c. 5. t. 5: καθ' ἑκάστην γὰρ ἀρετὴν &c. de omnibus virtutibus & vitiis præcipiunt, illas jubendo, hæc autem vetando. Et citat pro sua sententia *Alciat. in parerg. 31. Bolognetum de jur. & æquit. c. 8 & 9. Ang. Matth. de via jur. c. 9. & Christoph. Ehemium l. 5. de princip. jur. c. 6.*

29. Et certè posset Ungepaur in argumento Hornei negare Minorem propositionem, ad probationem verò dicere, illam non probare id, quod debebat probare. Minor enim principalis Syllogismi est, actum quendam Justitiæ Universalis cuiq; suum non tribuere; Probatio est, actum temperantiæ &c. alteri jus suum non tribuere, quæ diversa certè esse videntur.

23. Quod si tamen aliquis cum *Hornejo n 18. & 19.* per jus suum cuiq; tribuere id hic intelligat, ut id fiat, quatenus in pœnæ inflictione alterius interest, ut delictum puniatur, & quatenus in onerum æquali & justa distributione cæteris subvenitur, quibus onera illa simul imponuntur ingenuè fatemur Justitiæ particulari posse hanc definitionem Imperatoris optimè attribui, imò nisi rigidè tropologia examinaretur, tutò posse retineri.

31. Nostrum hac vice erit ex Arist: præcipuè de Particulari Justitia doctrinam proponere, quod dum facimus *ex c. 2.* illud deducimus, quod detur quædam Particularis Justitia distincta à reliquis. Datur enim quædam Injustitia Particularis distincta ab Universali; Oppositum enim est oppositi oppositum. E. etiam quædam Justitia Particularis distincta. Jam autem quis dubitat τὴν πλεονεξίαν inter vitia reponendam esse, & pravam ducere

vitam qui πλεονεκτεῖ. Atqui cum ad nullum cœterorum vitiorum pertineat, erit aliquod peculiare vitium quod Injustitia dicitur.

32. Idem probat *Arist.* ex actionibus diversissimis. Ponamus enim idem factum v. g. adulterium à duobus commissum, quorum unus sumptu magno libidinis vitiosæq; cupiditatis explendæ causa, alter verò ob lucrum vel commodum, quod inde sibi vel sperat, vel habet, certè posterior non tàm intemperans quàm injustus est, prior verò intemperans omnino non verò injustus.

33. Datur ergo quædam Justitia Particularis ab Universali distincta. Qualis autem distinctio inter utramq; intercedat inter authores non convenit. Specie enim distingui nonnulli volunt, qui divisionem hanc tanquam generis in species propugnant, alii tanquam æquivocum ab æquivoco, alii tanquam partem à parte, alii tanquam Analogatum primarium â secundario, ut regia incedant via, qui medio inter Univocum & Æquivocum loco ponentes pro genere Analogo, qui tamen omnes non leviter errant. Nos cum *Hornej. in maj. Eth. n. 12. Thoma 2.2. q. 58. a. 7. & Valentia tom. 3. D. 5. q. 2. punct. 2. differre* asserimus tanquam totum à parte.

34. Universalis enim Justitia est tanqnam totum ambitu suo omnes virtutes complectens, cum occupata sit περὶ ἅπαντα περὶ ὅσα ὁ σπουδαῖος *Arist. l. 5. Eth. c. 4. §. fin.* Particularis est istius quasi pars, & operam suam Particulari subjecto habet destinatam & versatur circa justam & æqualem bonorum distributionem & commutationem. Et ut sese genus habet ad speciem, ita actus Justitiæ Universalis ad actum Particularis sese habet in consecutione. Omne enim justum Particulare est etiam justum Universale, sed non contra: & omnis qui particulariter injusta agit, potest etiam dici Universaliter injusta agere; sed non contra.

35. Quia autem unaquæq; virtus per proprium & adæquatum objectum constituitur, etiam in hoc inquirere debemus. Justitia itaq; Particularis versatur circa bona, non quidem omnia, sed

circa

circa ea tantum περὶ ὅσα εὐτυχία καὶ ἀτυχία in quibus prospera vel adversa fortuna collocari solet *l. 5. Eth. c. 4.* Atqui hæc non quovis modo in Justitia attenduntur, sed quatenus aliis illa debentur, & quatenus ille qui Justitia præditus esse vult, neq; plus neq; minus quàm par est, sibi sumit, quia injustus in iis, quæ simpliciter bona sunt elegit id quod plus est, in malis id quod minus est secundum *c. 2. l. 5. Eth.* veluti *Arist. c. 4. § fin.* habet. versatur circa bona qualia sunt χρήματα, τιμὴ ἢ σωτηρία ἢ εἴ τινι ἔχοιμεν ἑνὶ ὀνόματι περιλαβεῖν ταῦτα πάντα, καὶ δι' ἡδονὴν τὴν ἀπὸ τοῦ κέρδους circa ea omnia versatur ob voluptatem, quam ê lucro consequitur.

36. In quibus verbis duæ partes Objecti nobis exhibentur, quarum altera aliis dicitur Materiale, & res considerata, altera Formale & modus considerandi. Materiale sunt bona fortunæ vel res, sive sit pecunia, sive honos, sive salus &c. Formale verò quatenus illa bona ratione lucri vel damni considerantur, ut lucrum vel damnum oriatur, si quis plus vel minus bonis utatur ac par est. Qua ratione jam Justitia distinguitur à reliquis virtutibus, objectum enim hoc Justitiæ dat esse formale suum distinctum à reliquarum virtutum objectis. Licet enim & reliquæ virtutes particulares materialiter versentur circa eandem rem externam v. g. Liberalitas & Magnificentia circa pecunias, Modestia & Magnanimitas circa honorem, tamen non eadem formalitate circa illam occupantur, dum res istiusmodi ibi non considerentur, quatenus lucrum vel damnum in iis spectatur, uti hoc loco. Sciendum autem est hanc vocem κέρδος h. l. latius accipi, quàm alias vulgo solet, ut docet *Arist. l. 5. Eth. c. 4. & ex eo Thomas*, cujus verba quia optimè mentem Arist: explanant, subjungemus. Omne superfluum, inquit, in his quæ ad Iustitiam pertinent, lucrum, extenso nomine, vocatur, sicut & omne quod minus est vocatur damnum. Et hoc ideò, quia Iustitia prius est exercita & communis exercitator in voluntariis commutationibus rerum; puta Emptione & Venditione, in quibus propriè hoc nomine dicuntur, & exinde derivantur hæc nomina ad omnia circa quæ potest esse Iustitia.

 37. In

37. In hisce rebus Mediocritatem servat Justitia, quia virtus etiam in Mediocritate consistit. Et quia Justitia Particularis versatur circa istiusmodi bona non uti possidentem & Justitia prædi tum solùm respiciunt, sed alterum, ideò etiam mediocritas simplex, quæ in reliquis virtutibus occurrit, non locum habere potest, sed Analogica & comparata h. l. ut intercedat necesse est. Cœteræ enim virtutes res, circa quas versantur, absolutè considerant, versanturq; circa affectus & Actiones hominum erga seipsos. Justitia verò nostra Particularis plures res inter se confert, imò sæpe etiam personas, & sic considerat actiones, quatenus exercemus eas erga alios.

38. Hoc *Arist* ex professo *l. 5. Eth. c. 3.* secundum quosdam *c. 6.* exponit. Ἀνάγκη τὸ δίκαιον μέσον τι καὶ ἴσον εἶναι, καὶ πρός τι καὶ τισὶ, καὶ ᾗ μὲν μέσον, τινῶν ταῦτα δ᾽ ἐστὶ πλεῖον καὶ ἔλαττον· ᾗ δ᾽ ἴσον ἐστὶ δυοῖν· ᾗ δὲ δίκαιον τισίν. ἀνάγκη ἄρα τὸ δίκαιον ἐν ἐλαχίστοις εἶναι τέτταρσιν. i.e. Nam necesse est, id quod justum est, & medium & æquale esse, & ad aliquid referri & aliquibus tale esse. Qua quidem medium est, quorundam est; ea verò sunt plus & minus. Qua autem æquale est, in duobus cernitur; qua deniq; justum & quibusdam & ad alios relatum. Itaq; necessariò consequitur, ut jus in quatuor ad minimum consistat.

39. Quia tamen ea res vel bona, quæ sunt objectum Justitiæ Particularis non uno & eodem modo sese habent: sunt enim res vel publicæ, ut honores dignitates, præmia, quæ τοῖς κοινωνοῦσι τῆς πολιτείας h. e. Reipubl: sociis vel civibus distribui debent, vel ejusmodi, de quibus contrahi potest, & quæ in Συναλλάγμασι conspiciuntur, ut habetur *c. 5. in fin.* In iis autem rebus, quæ dividi in eos possunt, qui ejusdem civitatis sunt, ἔστι καὶ ἄνισον ἔχειν καὶ ἴσον ἕτερον ἑτέρου etiam duæ species Justitiæ Particularis oriuntur, *ut ibid. Arist.* deducit. Commutativa alia, alia Distributiva.

40. Quæritur autem hoc loco, qualisnam sit divisio, qua Justitia Particularis in Distributivam & Commutativam dispeci-

tur,

tur. *Buridanus l. 5. Eth. q. 7.* negat speciem esse Justitiam Distributivam & Commutativam Justitia Particularis, cum Justitiam Particularem esse speciem infimam, quæ sub se alias species habere nequit, dicat. Verum *Arist.* contra. Ille enim expressè *c. 5.* Distributivam Iustitiam ἓν εἶδος unam speciem vocat, quod idem repetit *c. 7.* ubi concludit τὸ μὲν οὖν ἓν εἶδος τοῦ δικαίου τοῦτ' ἐστι, Idem de Comutativa asserit, quando dicit τοῦτο ἡ τὸ δίκαιον, ἄλλο εἶδος ἔχει τοῦ προτέρου.

41. Neq; sine ratione hoc assertum ab Arist: positum fuisse judicabis. Quicunq; enim habitus objectis formalibus distinguuntur, illi specie distinguuntur. Quemadmodum enim habitus ex objecto formali suam sumunt essentiam, ita etiam si quæ differentia specifica oritur, ex objecto Formali oritur. Sæpe enim in objectis habituum materiale concurrere nulli potest esse dubium, qui saltem liberalitatem & Iustitiam circa pecunias versantes considerare voluerit; sufficit, ut modus formalis objecti distinctus sit, qui ideo etiam distinctum habitum ponere potest.

42. Iam Iustitiam Distributivam & Commutativam objecto formali distingui ipse Buridanus concedere vel videtur, quando duplicem eamq; diversam rationem res ad æqualitatem redigendi adesse affirmat, vel debet, uti latè *Thomas 2. 2. q. 61. a. 1. Soto lib. 3. q. 6. a. 1 Gregor. de Valent. D. 5. q. 5. p. 1. Molina tom. 1. de Justitia tr. 1. disp. 12. n. 3. & ex his Clarissimus Hornejus disput. 3. de Justit. in Commun. n. 53. & seqq. Idem in Mag. Eth l. 3. c. 3. de Justit. in Comm. n. 22.* Specie ergò distingui negari nequit.

43. Iustitia Distributiva; uti ex *Arist. l. 5. c. 2.* diximus, est, quæ versatur ἐν ταῖς διανομαῖς, ἢ τιμῆς, ἢ χρημάτων, ἢ τῶν ἄλλων, ὅσα μεριστὰ τοῖς κοινωνοῦσι τῆς πολιτείας, i. e. distributionibus aut honoris, aut pecuniarum, aut aliarum rerum, quæ inter illos dividi solent, qui unius Reipubl: communione inter se juncti sunt.

44. Objectum itaq; Iustitiæ Distributivæ uno verbo sunt τὰ κοινὰ uti dicit *Arist. c. 7.* communia qualia sunt onera & præmia. Hæc cum ad Rempubl. spectent, bonaq; vel mala sint Rei-

publ.

publ: communia, in partes ideo etiam redundant, iilisq; imponuntur, qui Rempubl: constituunt: Cum autem impossibile sit, ut omnes cives sint similes teste Philosopho *l. 3. Polit. c. 4.* etiam impossibile est, ut bona quæ ad totam Rempubl: spectant, simili prorsus conditione possint distribui. Pro diversitate ergò membrorum Reipubl: salutem & bonum aliter atq; aliter juvantium atq; promoventium, diversa etiam onera & præmia iis tribui & concedi debent.

45. Proportione itaq; Geometrica æqualitas instituenda, ut res referatur ad personas; ut sicut se habet persona ad personam, ita etiam res, quæ datur uni personæ se debet habere ad rem, quæ datur alteri. Et sicut se habet meritum unius civis qua civis ad meritum alterius, ita etiam se habeat præmium vel onus unius civis, ad præmium vel onus alterius civis. Quantò enim majorem quisq; constituit Reipubl: portionem, quantaq; majorem habet in eo dignitatem, tantò majus etiam debet esse vel onus vel præmium. Hæc enim, ut diximus, totius sunt, quæ etiam tribui debent partibus juxta proportionem, quam habent ad totum. v. g. Sint distribuendi mille coronati inter Davidem & Saulem, quorum hic 1000, alter 10000 Philistæorum profligavit. Ponamus etiam in Republ: Iudæorum dignitatem ex fortitudine & rebus gestis fuisse æstimatam, ut David illam dignitatem præ Saule habuerit, quam innuit proportio inter 1000 & 10000 ut quo loco sint mille in hostium deletione, eo etiam loco fuerit Saul, & quo 10000, eo David, certè cum personæ in prædicta Reipubl: non coincidant & præmia coincidere non debent, neq; unicuiq; assignandi sint 500 coronati, Sed sicut se habebit 1. ad 10. ita sese habebit præmium Saulis ad præmium Davidis. Quia igitur persona & dignitas decies superat dignitatem Saulis E. etiam decies præmiū Davidis superabit. Sauli itaq; 90 $\frac{1}{11}$ Davidi verò 909 $\frac{10}{11}$ tribuentur.

46. Eadem ratio est in oneribus; sint v. g. duo cives ejusdem conditionis vel opificii, quorum alter 800 florenos, alter 400 florenos possideat, onus autem quoddam imponatur à Magi-

stratu,

ſtatu, ut ambo 2 florenis rempubl. juvent, certè non æqualitatem ſervaveris, ſi utriq; 1. florenum dandum dixeris, ſed prout ſe habet 8 ad 4. ita hic ad illum. E. quando hic dat 14 groſſos, ille dabit 28 groſſos.

47. Ubi tamen notes ex Ariſt: nos meritum illud h. l. dicere, quod *Ariſt: c. 6. t. 26.* dicit dignitatem, *Thomas* principalitatem *2. 2. q. 61. a. 2.* quæ non eadem eſt penes omnes, ſed aliter in puris rerumpubl: formis, aliter in cæteris, uti ibidem docet *Ariſt:* τὴν μὲν τοι ἀξίαν, οὐ τὴν αὐτὴν λέγουσι πάντες ὑπάρχειν, ἀλλ' οἱ μὲν δημοκρατικοὶ ἐλευθερίαν οἱ δ' ὀλιγαρχικοὶ οἱ μὲν πλοῦτον οἱ δ' εὐγένειαν οἱ δ' ἀριστοκρατικοὶ, ἀρετήν ἐστιν ἄρα δίκαιον, ἀνάλογόν τι. i. e. Dignitatem non omnes eandem eſſe aſſerunt, ſed populari ſtatu utentes libertatem: Principatum paucorum ſectantes divitias & nonnulli nobilitatem, qui in optimatum adminiſtratione degunt, virtutem. Jus igitur quiddam eſt, quod in proportione conſiſtit.

48. Æſtimatio itaq; dignitatis ſeu meriti æſtimatur non ſimpliciter, ſed ex hypotheſi Reipub. in qua vivitur, ita enim ſæpè varietatem quandam occurrere; modo etiam à Nobilitate, modò à Libertate, modò ab Opulentia deſumi nullum eſt dubium. *vid. Thom. l. c.*

49. Cum autem ab Ariſt: expreſſè aſſertum invenias Juſtitiam diſtributivam communia attendere & quæ dividi ſolent, inter eos, qui unius Reipub. communione inter ſe juncti ſunt, eo ipſo refutatur trita & hodiè apud multos de pœnis, quod pœnas nocentibus pro cujusq; merito irrogare ad hanc Juſtitiæ Particularis ſpeciem referri affirment, recepta ſententia, quam acriter defendunt *Connimbric. diſp. 9. q. 1. art. 2. & ex his Golius 5. Eth. c. 5. Magirus ib. c. 4. & 5. Ebemius lib. 5. de princip. Jur. c. 2. Heilandus c. 3. Aleſſand. Piccolom. lib. 8. Inſt. Moral. c. 3. & 4. Sebaſt. Fox. lib. 3. compend. Eth. c. 12. Et è JCtis qui omnium inſtar eſſe poteſt Matthæus VVeſenbec in paratit. ff. de Juſt. & Jur. n. 11.* non ſolum contra vetuſtiſſimos Politicos utpote *Averroen 5. Eth. c. 5. Thom ib. lect. 6. & 8. & 2. 2. q. 61. art. 3. Quilielmum Burleum ib. c. 2. & 5. § di-*

cendum est Cajet. sup. 2. 2. q. 61. Acciajolum 5. Eth. c. 4. Et *Domin. à Soto de Just. & Jur. lib. 3. q. 5. art. 1.* Sed & *Aristot.* uti eruditè ostendit *Henning. Arnisæus lib. 1. Polit. c. 18.* Et *Hornej. lib. 3. c. 13. n. 10. Johan. Cothmannus in Instit. f. 6.*

Burgersdicius

50. Ut etiam miremur quomodo *Franco Burgersdicius in sua Idea Philosophiæ morali* ex Aristotele decerpta *c. 22. fol. m. 222. & seq.* Contrarium defendere voluerit, & dixerit *§. 8. & 11.* Distributivam etiam in pœnis & suppliciis pro merito infligendis consistere, cujus verba hic apponere lubet, *§. 8.* inquit: Officium Magistratus est munera Reipub. dignis tribuere, benè de Repub. meritos præmiis, & in Rempub. delinquentes suppliciis afficere. Quare non in muneribus tantùm & præmiis conferendis, sed etiam in pœnis & suppliciis pro merito infligendis consistit distributiva justitia. *§. 11.* verba sunt hæc: Eadem proportio servanda est, tùm in publicis delictis, tum etiam in privatis, quatenus iis non privati tantùm, sed ipsa etiam Respubl: læditur. Nam ut gravius ille peccat, qui Magistratum pulsat, quàm qui vilem aliquem ex infima plebe hominem (gravis enim Rempub. offendit) ita gravius etiam puniendus est. Atq; hæc est ipsa Arist: sententia εἰ ἀρχὴν ἔχων ἐπάταξεν οὐ δεῖ ἀντιπληγῆναι. καὶ εἰ ἄρχοντα ἐπάταξεν, οὐ πληγῆναι μόνον δεῖ, ἀλλὰ καὶ κολασθῆναι. *lib. 5. Eth. c. 5.* Hæc sententia optima niti ratione videtur. Si enim, qui plus Reipub. profuit, majori præmio afficiendus est, cur qui magis læsit Rempub. non sit majori pœna afficiendus, cum pœna non tantum in exemplum, sed etiam, ut offensæ parti satisfiat, adhiberi queat? Adde, quod nec Jure divino nec Civili æqualis pœna secundum proportionem Arithmeticam omnibus delictis constituta sit. DEus certè in V. T. aliter puniri voluit, qui Principi in populo maledixisset, aliter eum qui privato: aliter qui filiam Sacerdotis violasset, aliter qui filiam privati civis. &c. *Hactenus Burgersdicius.*

51. Committit hic Vir certè Doctissimus & in Arist: versatissimus ignorationem Elenchi, non enim probat, quod probare debebat. Debebat enim probare in delictis & pœnis infligendis servari proportionem Arithmeticam, & ipse probat, graviora

peccata

peccata gravius debere puniri. Certè hoc in controversiam à nemine vocatur, contra hoc enim rectissimè citat ex *Arist. 5. Eth. 8. 5. & loca ex sacris.*

52. Verum quemadmodum non sequitur, quia calceus benè elaboratus pluris æstimatur ac malè consutus, & malè consutus minùs ac benè elaboratus, vel qui diligenter laborat accipit 10. E. qui negligenter *non 10. sed 5* nam occurrit ibi Justitia commutativa. Ita etiam h. l. quando majus delictum major pœna sequitur, non potest concludi, quod Geometrica proportio occurrat.

53. Ipso enim teste § *10.* servare proportionem Geometricam est servare proportionem rerum ad personas. Ut enim persona se habet ad personam, sic etiam res, quæ datur uni personæ se debet habere ad rem, quæ datur alteri. Atq; h. l. ejusmodi proportio non instituitur; non enim pœna cum persona, sed cum delicto comparatur, quod dignitatem quatenus dignitatem & Civem quatenus civem non concernit. Pœnæ enim irrogantur non civibus qua civibus, sed qua facinorosis & sceleratis. Et certè si pœna cum persona deberet comparari prorsus Arist: mens inverteretur l. allegato, tunc enim si Magistratus quempiam percussisset, tantum esset, ut non rursum percuti deberet, sed ut potius majori pœna afficiendus esset. Quæ enim ratio personæ in Geometrica proportione, ea ratio etiam pœnæ deberet esse. E. quia majoris dignitatis persona, major etiam pœna ipsi insligenda foret, quod absurdum.

54. Et stante hac sententia προσωποληψία introduceretur, quæ certè & Juri divino *Gen. 9. v. 6. & 6. Exod. 23. v. 3. Levit. 19. v. 15. Deut. 1. v. 17. c. 19, 15. Canonico Innoc. 3. c. novit 13. de Judic. Bonifac. VIII. c. in Judiciis 12. de R. J. in 6. Ib. Gloß. & Joh. Andr. c. ult. 13. q. 9.* Naturali, quod requirit æqualitatem inter reum & actorem, & Civili vide *Nov. 9.* est illicita.

55. Nec solum. 1. in Contractibus voluntariis, si ea, quæ non tendunt ad finem contractus, respiciantur. 2. in honorum collatione, si circumstantiæ quæ sunt extra finem istum positæ,

ob quem honores impertiuntur, attendantur. 3. In officiorum publicorum distributione cum & ita maximè inidoneus in interitum Reipubl: promoveri possit, sed etiam 4. in pœnarum irrogatione, injusta est ista προσωποληψία. Hujus enim finis est, ut parti læsæ satis fiat, seu actori, seu ipsi Reipubl: quæ læsa.

56. Sed hoc non esse institutum *Arist.* ipse *Burgersdicius* fateri cogitur, neq; illa verba; uti quidem Conn. faciunt, ipsorū Justitiæ Geometricæ, neq; exinde elicitur personas ut personas ibi considerari quod optime explicat noster *Burleus l. 2. Conclus. 150*; qui Burgersdicio & Conn. scrupulum eximere facile potuisset. Sed hoc dubitatur, inquit, quomodo in capit; præced. dixit Philosophus, quod in Justitia Commutativa non attenditur diversa conditio personarum. Nihil enim differt secundum hanc Justitiam, si studiosus pravum privavit, vel pravus studiosum, sed Lex ntitur inæqualibus secundum dignitatem q. æqualibus? Dicendum est, inquit, quod in Justitia Commutativa lex solum attendit at differentiam nocumenti. Nunc autem quando nocumentum attenditur circa subtractionem rei exterioris, puta pecuniæ, vel æquivalentis non variatur quantitas nocumenti secundū diversam conditionem personæ: tantum enim nocumentum fieret mihi, si princeps privaret me decem liberis, quantum inferri potuisset, si privata persona me privaret decem liberis, & è converso. Sed quando nocumentum est personale, tunc quantitas nocumenti diversificatur secundum conditionem personæ. Majus enim nocumentum est, cum aliquis percutit principem, quàm si percutiat privatam personam; quia in passione principis, sed tota Respubl: quæ per principem habet regi, læditur in percussione principis. Quando igitur dicitur, quod & Justitia Commutativa non attenditur ob diversam conditionem personarum, dicas, quod hoc sit verum, quando nocumentum solùm attenditur circa subtractionem exterioris rei, sed quando fit nocumentum secundum personam, ut in injuriis personalibus, tunc solum est respiciendum ad conditionem personæ: quia tunc variat quantitas nocumenti secundum diversam conditionem personæ.

57. Hacte-

57. Hactenus speciem Justitiæ Particularis Distributivam sub considerationis incudem revocavimus, restat Commutativa συναλλακτικὴ, quæ etiam διορθωτικὴ nuncupatur. Hujus objectum constituit Aristot. συναλλάγματα, contractus, vocabulo hoc non in specialiori acceptione sumpto, qua alias JCti utuntur *l. 19. ff. de V. S. & l. 7. ff. de Pactis* sed in generaliori, uti *Glossa ad l. 19. ff. de V. S.*

58. Qua ratione ab Arist. συναλλάγματα alia sunt ἀκούσια Contractus Spontanei, ut Emptio, Venditio, Mutuum, Fidejussio, Depositum, Locatio, Conductio, alia ἑκούσια & hæc vel λαθραῖα Contractus inviti, clandestini, veluti furtum, adulterium, Veneficium, Lenocinium, servi alicujus conductio, δολοφονία aut dolo illata, Mors, Falsum testimonium; vel βίαια Contractus inviti violenti, ut verbera, vincula, homicidium, rapina, mutilatio alicujus membri, Convicium, Contumelia.

59. Æqualitas in hac Justitia æstimatur ex rerum conditione, illudq; æquale est, quod simpliciter interjacet inter plus & minus; Nihil itaq; refert, utrum improbus virum bonum fraudaverit, an probus improbum? Lex enim πρὸς τὸ βλάβους τὴν διαφορὰν μόνον βλέπει καὶ χρῆται ὡς ἴσοις. *6. Eth. c. 4.* Ut itaq; in hac Justitia medium servetur necesse est; ut res invicem diligenter conferantur, ut quantum superat unum, vel superatur ab altero, tantum adimatur vel addatur reliquo.

60. Et hinc medium erit servandum secundum proportionem Arithmeticam, nulloq; habito respectu personarum constituitur æqualitas, & rem unius personæ ad aliam refert, versaturq; inter debitum & solutionem, inter datum & acceptum. Ut enim semper in proportione Arithmetica simpliciter numerorum à se invicem distantia observatur, ita etiam in Analogia æqualitas, quam Justitia Commutativa quærit, consistit in sola rerum distantia in lucro & damno, ne quis defraudetur.

61. Hinc accidit, ut Judex, qui nihil aliud est quàm δίκαιον ἔμψυχον i. e. jus animatum, si quadam injuria aliquis sit affe-

affectus, illam ad æqualitatem reducere conetur, detrahendo alteri lucrum. Unde etiam si de aliqua re disceptatur, statim ad Judicem decurritur tanquam ad medium, qui ut corrigat inæqualitatem in contractibus exortam non respicit personas letigantium, sed simpliciter spectat magnitudinem lucri & damni, quod ubi intellexit, dimidium lucri damno apponendo facit æqualitatem. Qua de causa dicitur etiam δικαστὴς quasi διχαστὴς, i. e. in duo rem æqualiter scindens & μεσίδιος 5. *Eth.* c. 4.

62. De hoc Judice h. l. solet converti, cum ipsius officium sit circumstantias diligenter perpendere, & in veritatem gestorum prout alia atq; alia documenta habent, inquirere, An secundum acta & probata, an verò secundum conscientiam judicare debeat. v. g. sit talis casus: Titius adulterii reus postulatur, qui etiam testibus tribus productis tali vel tali hora admissi convincitur, cum tamen judici certissimum sit, ipsum esse innoxium, qui fortè tota eadem nocte & hora Titius apud Judicem fuerit insomnis.

63. In cujus controversiæ decisione
Hinc atq; hinc vastæ rupes geminiq; minantur.
In cœlum scopuli. ———

Pleriq; in eo conveniunt, nihil 1. intermittendum esse judici, ut testes â perjurio absterreat percontando de loco tempore aliisq; circumstantiis, uti *Dan. 13. 45. 55.* videmus, & 2. ut si inferior fuerit judex ad superiorem rem deferat & testimonio suo jurato juvet.

64. Quod si autem judex de circumstantiis inquirendis diligentissimus fuerit, sitq; superior (quod enim *Hotomannus q. 27. Illustr:* autumat distintione hac difficultatem posse tolli rectè negat *Hunnius in resol. Treutl. vol. 1. Disp. 12. 14. q. 5.*) neq; dubitet, res est difficilis.

65. *Nicolaus Lyranus super c. 23. Exod. Hostiensis in c. pastoralis §. quia verò de officio judicis delegati, Panormitanus 16. Corasius l. 4. Miscell. c. 20. & Cujacius* muneri ut planè renuncient Judices, suadent, quos solidè refellit *Vasquius l. 1. Illustr. qq. con-*

trov.

trov. 14. Judicis enim officium est judicare, quod pro lubitu suspendere ipsi non est integrum. Hinc etiam malè cum reis agetur, si permitteret judex, ut alius nocentem absolveret & reum condemnaret. Qui enim permittit malum & prohibere potest tenetur & moraliter peccat.

66. *Adrianus quodl. 6. art. 3.* testante Gregor: de Valentiâ distinguit inter caussas criminales & civiles. In illis secundum conscientiam judicandum magis tutum eximat, cum satius sit nocentem dimittere *l. 5. ff. de pœnis*; In his verò negat quæ tamen rectè in dubium vocat cum Soto Valentia. Utrobiq; enim Judex officio suo præesse debet, utrobiq; etiam veritas & innocentia attendenda, quæ si neglexerit judex, graviter errabit.

67. *Dominicus à Soto l. 1. de Just. & Jure.* aliter de nocente aliter de innocente pronunciat, nocentem enim non convictum Soto statuit esse absolvendum, dicit hac de re nunquam dubitatum fuisse. Innocentis autem caussam secundum acta & probata decidendam esse disputat *q. 4. artic. 2.* verum utrobiq; eadem est ratio, judiciq; incumbit & ne nocens absolvatur & ne innocens condemnetur. Debet enim in prœmiorum pœnarumq; inflictione unicuiq; suum tribuere. Atqui nocenti pœnæ, innocenti verò absolutio concedenda est.

68. Fatemur ergò *Angelum Clavasium in verbo judicare q. 7. & Rosellam in verbo Judicium* statuere, quod nocens sit absolvendus, quemadmodum etiam reum condemnandum secundum acta & probata condemnandum judicarunt Alexander Alensis *part. 13. q. 34. membr. 1. artic. 4. & quæst. 40. membr. 6. artic. 2. Thomas. 2. 2. quæst. 67. art. 2. Cajet. ibid. Soto l. c. q. 4. art. 2. ex JCtis l. illicitas § veritas ff. de officio Præsidis, & Covarruvias tom. 2. lib. 1. Cujacius l. 12. observ. cap. 19. & ex recentioribus Gregor: de Valentia tom. 3. Disp. 5. q. 11. punct. 5. & Hornejus l. 4. de prudentia judiciaria fol. 634.*

69. Nostra sententia est, quando ita status controversiæ formatur, an magis secundum acta & probata, an vero secundum conscientiam, sit judici judicandum, posterius membrum esse

esse eligendum. Nam nemo bonus contra conscientiam aliquid faciet. Ubi tamen concedo aliud esse scientiam magis attendendam, aliud conscientiam magis attendendam. Potest enim quis judex illam sententiam propugnare, judici incumbere, ut potius secundum scientiam propriam judicet, qui, si secundum acta & probata judicaverit mortaliter peccabit. Hinc Covarruvias *l. c. f. 2.* ait: quod si Judex ipse credat, existimet aut dubitet, se non posse ferre sententiam ex probationibus contra privatam ejus scientiam, nequaquam poterit ita pronunciare: immò peccabit mortaliter palàm agens, contra propriæ conscientiæ dictamen.

70. Si autem de scientia quæstio instituatur, adhuc affirmativam propugnamus *cum Hunnio in resol. Treutl. vol. 1. Disp. 17. th. 14. q. 5. Arumæo Exerc. 6. in parerg.* nostrisq; Theologis, imprimis *celeberrimo Dn. Joh. Gerhardo Præceptore & Promotore nostro honorando in tom. de Magist: politico* & aliis, nimirum magis secundum scientiam quam acta & probata judicandum esse, nec Titium condemnandum sed absolvendum esse. Judicis enim non est hominem justum & innocentem occidere, *Exod. 23. v. 7.* quod tamen fieret, si Titius secundum actorum & probatorum rigorem condemnandus foret.

71. Aliter alii ad nostrum argumentum authores respondent. *Cajetanus l. c. quæst. 64. art. 7.* dicit judicem non occidere innocentem per se, sed per accidens, quatenus Judex vult tantum fungi suo officio, licet inde sequatur mors innocentis, quam ipse nequaquam vult. Valentia respondet negando minorem occidi nocentem judicio quodam communitatis moraliter certo, quod facere non est malum, sed debitum. Hinc respondetur ad Exod: intelligi locum, quando sententia plurium jure potest à Judice repelli per juridicam exceptionem v. g. ut poterat à Pilato, quando clamante populo crucifige crucifige eum, ipse dicebat, non invenio in eo caussam. Ita illic dicitur insontem & justum non occides, intelligitur de justo & insonte non existimato reo judicio humano certo communitatis. Ita etiam respon-

respondet Horn: Intelligenda esse loca si convincantur & cum innocentia demonstrari possit. Ita etiam Covarruvias ad 4. quia Judex damnans eum quem privatim scit innocentem esse, ex ipsis tamen publicis probationibus manifestè nocentem novit, nequaquam innocentem sed potius nocentem occidit Nam & judex tenetur in judicio fidem adhibere his, quæ ut judex cognoverit, non his quæ ut privatus: Igitur non occidit innocentem si occiderit eum, qui ex publicis testimoniis nocens apparet.

72. Verum meo judicio nocentia & innocentia alicujus non resumitur ex cognitione testium, sed rei & objecti ipsius. Aliàs etiam Christus justè fuisset condemnatus, testes enim dixerant se blasphemum fuisse in Deum, & quæ alia, non tamen ideò nocens erat Christus, multò minus seductor, Er were ein Auffrührer gewesen der das Volck erreget/ Luc. 23. v. 5. Et cum instrumenta instituta sint ob veritatem indigitandam, quod veritatem indigitare nequeunt, eo ipso sunt nulla: Actorum enim observatio instituta est, ut constet veritas. *l. 3. ff. de Testib. l. 4. C. eodem l judices C. de Judiciis l. 2. C. de Edend.* Hinc *Corasius 4. Miscel. 20. ait.* propter veritatem ut elucesceret, judiciorum solemnia inventa sunt, non ut serviret judiciis veritas.

73. Nec juvat distinctio inter veritatem publicam & privatam, quam fervidè propugnat *Hornejus l. c. fol. 634,* quando his nos oppugnare vult verbis; *Tandem nec qui pro scientia privata faciunt rectè rejiciunt distinctionem veritatis in publicam & privatam: etsi enim propriè veritas unica & simplex est, quod intempestivè in hac controversia inculcat Treutlerus disput: 12. vol. 2. th. 14. lit.* E. ut &, *quod vera conscientia & veræ probationes pugnare inter se nunquam possint, rectè hoc nomine reprehensus à Reinh. Bachovio, tamen nihil impedit, quo minus veritas publica vocetur quod legitimè probatum & eo modo ostensum est quo veritas erui humanâ industriâ potest, & alias communiter solet, cum ipsum etiam jus divinum pro vero habeat. quod certo modo puta duorum aut trium hominum testimonio, probatum est, non obstante quod nonnunquam ejusmodi etiam testimonium falsum esse possit, ut in causa Susannæ contigerat, quemadmodum eruditè hæc disputat idem Bachovius.*

74. Nam respondemus aut privata scientia dicit esse rectum aut non, distinctio enim hæc implicat prædicata contradictoria, inter quæ nullum medium est. Una enim scientia nimirũ privata dicit, reum esse criminis expertem & non condemnandum; altera scientia nimirum publica contradicit eundem reum non esse criminis expertem, & justè condemnandum, ubi utraq; pars simul stare non potest, sed alterutram labi oportet. Propria autem scientia quæ rem explorat uti sese habet, semper est vera scientia. Quare falsa erit altera scientia. Et per consequens nulla dabitur in judice publica scientia, secundum quam licitè condemnare queat reum, innocentem, quod contra Hornejum probandum erat. Testes igitur convincendi & veritas in lucem producenda.

75. Constitueramus etiam argumentis Covarruviæ, Gregor. de Valentia &Hornejii, ut & legibus à JCtis citatis satisfacere & ex ipso Covarruvio solutiones ad præcipua adferre, sed cum ratio thesium nos admoneat, ut finem disputationi imponamus, unicum adjiciamus, nimirum Justitiam particularem consistere inter duo extrema, plus videlicet & minus, ac versari potissimum in æqualitate distributionis & permutationis rerum externarum, vel omnium in quibus injuria cuiquam fieri potest.

76. Hæc autem duo extrema plus videlicet & minus sub uno vocabulo non solùm, sed & actu vitioso comprehenduntur. Nam injustus unâ eademq; actione in utroq; simul peccat, uti ostendit Philosophus *l. 5. Eth. c. 9.* Quando enim uni fecit injuriam minus ei tribuendo, quam debeat; necesse est, ut tunc sibi vel alteri plus tribuat, quam par erat, quandoquidem in actione injusta hæc duo simul concurrunt, injuriam facere, quod est τὸ πλέιον ἔχειν, & injuriam pati, quod est τὸ ἔλαττον ἔχειν.

Corollaria.

1. *An rerum publicarum formæ poßint misceri?* Aff.
2. *An jura Majestatis poßint dividi?* Aff.
3. *An modernum Imperium Romano-Germanicum sit purè Monarchicum?* N.
4. *An religio poßit armis defendi à subditis?* N.
5. *An justitiæ sit hæreticos propter hæresin rogo imponere?* N.

Ad Præstantiss: & Politiss:

Dn. Respondentem.

QUod fuit in votis dudum per vota capeßis
Delitium Charitum, delitium Sophiæ
Dum Sophiæ miles sophicū descendis in agmen;
Cum Sophico gaudens bella ciere grege.
Cæptum næ pulchrum! quod si perrexeris ire
Te quo virtutum sacra corona vocat,
Auguror, haud patriæ existes inglorius Urbi,
Virtutis pones sicq; Tropæa tuæ.

M. JOHANN. Reinboth/ Præses.

RAucisonos inter lituos, creperosq; tumultus,
Lex ubi Justitiæ semisepulta jacet:
Tu novus illius potes instaurator haberi,
Præside REINBOTHO tu novus author eris.
Vindicias pro lege Dices nam fortiter urges,
Quod tua cum plausu vox operosa probat.
Optime CUNOVI de tanto gratulor ausu,
Quem tibi felicem, quem precor esse Patri.
Perge Dices, Themidos simul inclarescere scriptis,
Fama tuas laudes commemorabit anus.

αὐτοσχεδίως

amico honorando

L. M. Q. f.

M. Pancratius Amselius P.L.C.

Præſtantiſsimo Dn: Reſpondenti,
Commenſali & Amico meo
perdilecto
Amoris & Amicitiæ E.

Hæc Anagrammata:

Henricus Cunovius Marchites.
1. *Venaris ſuccum juris nocte.*
2. *Venor ſuccum tenacis juris.*

CUNOVI! Aönidum cultor ſtudioſe Sororum,
Te mihi commendat candor & integritas,
Venaris ſuccum juris, geſtisq; medullam,
eruere, evolvis *nocteq;* dieq; libros
Sic ut cæpiſti pergas; ex nomine factum
Inſtar calcaris ſitq; Anagramma tibi:
Juſtitiæ *venor ſuccum jurisq; tenacis*,
& verto in ſuccum ſangüinemq; meum.
Sic, age, juſtitiam venare tenaciter, atq;
fac ut ſis ſtudii propoſitiq; tenax.

Hinricus Cunovius
3. *Cur non vis cuivis.*

PRæmia *cur non vis cûivis* (interrogo doctum
Muſarum Patrem) diſtribuiſſe viro?
Redditur actutum reſponſio digna rogato:
Dîis ſua venduntur cuncta labore bona,
Non datur ad Muſas currendi ſemita lata;
dantur enim impigris præmia; nulla pigris.

apponeb.
Joan. Göes Lubbecca Weſtph.